EXTRACTVM
Ex *Statutis Amstelredamensibus*, *signatis* lit. L. fol. 21.

QVandoquidem *Ampliss. DD. Consulibus & Scabinis enormes innotuerunt abusus, qui in medicamentorum præparatione à Pharmacopœis committuntur, tum, quòd communis formula non extet, juxta cujus normam quævis officina teneatur medicamenta sua componere, tùm, quòd ob Vrbis magnitudinem, & officinarum frequentiam scivi à Medicis nequaquam hactenus potuerit, quid in singulis præstaret, multo minus, quo illud modo ibidem præparatum fuerit: quorum ignoratione incerta multùm facta est ars medica, plurimisque periculis ægri expositi, magno Reipubl. detrimento, & Medicorum non levi dedecore; Placuit iisdem Ampliss. DD. (quibus à Medicis oblatum est* DISPENSATORIVM, *in quod hi ex omnibus scriptoribus ea, quæ maxime convenire judicarunt, medicamenta retulerunt, & collegerunt) Reipubl. salutem, & Medicorum honorem cordi ducentibus, ut obviam eant cunctis illis malis & incommodis, ad exemplum diversarum illustrium civitatum, & intellectâ super hac re Senatus sententiâ: Omnibus Pharmacopœis, tùm qui jam instituerunt, tùm qui aliquando in hac urbe suas officinas sunt instituturi, mandare, ut id ipsum* DISPENSATORIVM, *quod omnium usui imprimitur, atque propediem in publicum dabitur, sequantur in suarum officinarum instructione, neque ab eo deflectant, atque qui secus fecisse, ignotasque medicamentorum compositiones alias, præterquam quæ in dicto libro continentur, in suis officinis habere deprehensi fuerint, pendant primâ vice pœnam duodecim Carolinorum, secunda vice vigintiquinque Carolinorum, tertiâ verò vice Occlusionis officinarum, ac omnis medicamenta vanum exponendi potestatis interdictæ ad sex septimanas. Vt verò præscripta Lex strictius observetur,*

singulæ in posterum officinæ bis terve quotannis à binis terniſve Medicinæ Doctoribus (ad id annuatim à Magiſtratu delegandis) viſitabuntur, multaque dicentur transgreſſoribus. Præterea omnes Pharmacopœi tenebuntur his Medicinæ Doctoribus, quod muneris sui est exequentibus, debitum honorem deferre, atque officinas accedentibus absque ullâ tergiverſatione, nec refractariò monſtrare, quæcunque fuerint juſſi. Qui aliter faxint, multabuntur viginti quinque Carolinis, nihiloque minus tenebuntur, quæ ab iis petent Doctores oſtendere, atque in omnibus & ſingulis præſenti Edicto obſequi. Quarum omnium multarum pars altera redigetur in fiſcum, altera relinquetur arbitrio D D. Iudicum.

Subſcriptum:

Publicatum XXIX *Aprilis*, CIↃ IↃ C XXXVI. *Præſentib. ut in Reg.*

Coll.

D. MOSTART.

Extractum ex eiſdem ſtatutis, lit. L, fol. 78 v.

DD. Iudices propius examinantes ſtatutum pertinens ad Diſpenſatorium, quod XXIX *Aprilis*, CIC IↃ C XXXVI *(ſupra fol.* 21 *regeſtum) emanavit, interpretamenti vice explicuerunt, Compoſita in iſto ipſo* DISPENSATORIO *(quo antedictum ſtatutum vergit) propoſita, modo dumtaxat intibi præſcripto faciendâ eſſe. Tamen Pharmacopœis licere præter iſta nonnihil habere & obſervare in uſum exterorum aliorumque. Ita ratificatum* XXIX *Ianuarii*, CIↃ IↃ C XXXIX. *Præſentib. ut in Regeſtis.*

Ex mandato eorumdem D D.

D. MOSTART.

PHAR-